



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LXVIII. Differentia 1. Ille locus dicitur religiosus secundùm Canones, qui
pontificali auctoritate constructus est,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

TITVLVS VII.

De Religione & Regularibus.

Quia rerum sacrarum, & profanarum dispar conditio est, hominum, qui illis tractandis insudant, non possunt non plurimum distare mores, & studia. Nimirum hi fugiunt, quod illi festinantur, & vicissim horum placita illorum fastidia sunt. Quomodo igitur dissideant, explicandum.

LXVIII.

DIFFERENTIA I.

Ille locus dicitur religiosus secundum Canones, qui pontificali auctoritate constructus est, c. Ad hæc, de Relig. dom. c. Nemo ecclesiam, de cens.

Ditt. 1. Sed iure civ. religiosus locus censetur, in quo mortuus homo sepultus est: l. Cum diversis, & l. Cum loca, ff. de relig. & sumpt. fun. Bart. 180.

In e. Ad hæc, *Urbanus IV.* Ariminensi Episcopo rescribens ait: Si locus ad hospitalis usum, & pauperum provisionem fuerit auctoritate pontificali destinatus, cum sit religiosus, non debet mundanis usibus deputari: sicut de vestibus & ligneis vasis, & aliis utensilibus ad cultum religionis per Pontificem deputatis antiqua consuetudo observat. Igitur juxta mentem sacrorum Canonum locus religiosus est templum, monasterium, nosocomium, hospitalis, sacellum, oratorium denique privatum, auctoritate episcopi constructionem aut consecratum, c. *Oratorium, dist. 42.* Oratorium hoc sit, quod dicitur: nec ibi quicquam aliud agatur, vel condatur, quam quod divinis mysteriis conveniat. Item c. *seq.* In oratorio præ-

ter orandi, & psallendi cultum penitus nihil agatur, ut nomini huic opera impensa concordent, s. *Aug. ep. 109.*

II. Apud Gentiles olim locus religiosus non consecratione, & verbis solennibus, sed illatione mortuorum efficiebatur, l. 6. ff. de rer. div. l. 2. ff. de relig. ubi *Celsus* ait, non totum locum, qui sepultura destinatus est, religiosum fieri, sed quatenus corpus humatum est. Patet autem ex *Cic. l. 2. de leg.* ea loca, in quæ mortuus illatus fuerat, neque arari, neque coli jussu fuisse. Unde religio à relinquendo dicta putatur à *Serg. Sulpit. & Sabino*, itaque si Pontifices purum esse aliquem locum volebant, exarari jubebant. *V. quæ dix. in Parr.*

2. summa initio.

LXIX. DIF.